Fuit etiam in eo Donum linguarum omnium; quia Lingua. qui nouerat cordium secreta, non poterat ignorare vocum significations. Deinde, Qui consultit Apostolis ut omnium linguis loquentur, non potuit eadem facultate carere; quia potius longè perfectius eam possedit. Publice tamen & pro concione verisimile est non fuisse usum diversis linguis, præter Syram & Hebream; quia non erat missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël Matth. 15. v. 24. nempe, ut per se, illis prædicaret. Et hoc forte vult D. Thomas art. 7. ad 3. Priuatum autem probabile est eum hoc dono usum; ut, cùm loquebatur cum gentilibus, cum Samaranianis, & alijs.

Fuit etiam in illo Prophetia, quod est contra Abulensem q. 64. in cap. 11. Numeror. vbi ex- Proph- estimat Christum non fuisse verè Prophetam, sed in, quam solùm opinione vulgi, qui nihil in eo maius ag- malè negat Abulenses. noscebat. Sed Probatur, quia Scriptura psalmus Christum vocat Prophetam. Deut. 18. v. 18. *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum.* Quem locum de Christo intelligi, patet ex interpretatione Petri Act. 3. & Stephani Act. 7. de quo vide D. August. lib. 16. contra Faustum Manichæum cap. 18. & sequentibus. Matth. 13. v. 57. *Non est Prophetæ fine honore nisi in patria sua.* Et Luc. 13. v. 33. *Non caput Prophetam petire extra Hierusalem.* Quibus locis Christus se Prophetam vocat, non vulgus. Omitto alia plurima loca. Deinde Probatur ratione; Quia Christus per scientiam supernaturalem & beatificam, prænoscebat ea quæ præcul sunt, vel loco, vel tempore; & à quibus ipse tamquam viator distabat; eaque annuntiabat hominibus: ergo verè erat Prophetæ.

Dices Primo, Christus ut homo, erat Beatus: *Objec-
tio.
nes reb-
us,* ergo ei nihil erat procul, sed omnia præsentia: *len-
sio,* ergo

FF. ergo

62 Quæst. 7. De Gratia Christi prout est singularis homo. Art. 7. 8. 9.

ergo non erat Propheta; nam de ratione Propheta est, ut videat procul posita. Secundò, Christus non erat Dei nuntius, sed Deus ipse ergo &c. Tertiò, Ioannes Baptista non erat Propheta, sed plus quam Propheta. Matth. 11: ergo multo magis Christus. Quartò, Prophetie evacuabuntur. 1. Cor. 13: atque in Christo nihil evacuandum; quoad animam.

*Refellun.
Am-*

*Respondeo ad primum: Negando Consequen-
tiam; Nam Christus non tantum erat beatus, sed
etiam viator. Et quatenus viator, erat procul
ab ijs quæ nuntiabant; quod sufficit ad rationem
Prophetiz. Ad secundum: Christus non tantum
erat Deus, sed seruus & nuntius Dei; vnde dicitur,
Seruus Dei Isaia 42. vers. 1. & nuntius testa-
menti, Malachia 3. vers. 1. Ad tertium: Iohannes
erat plusquam Propheta in annuntiando Christo
qui plus fecit quam alij; cum ipse demonstra-
uerit præsentem, quem alij dumtaxat prædice-
runt venturum; verè tamen fuit Propheta. Ad
quartum: *Prophetia cessabit*, quoad actum pra-
dicendi futura; vnde Græcè est, *Otiosa reddentur*.
Ibidem dicitur etiam *linguas cessaturas*; non quod
haec cognitio sit abolenda; sed quod usus varia-
rum linguarum non erit amplius necessarius. Si-
milter *scientia destruetur*, quia tolleret omnis ob-
scuritas, ita ut opinio alia videatur scientia.*

*Prophetia
in Christo
non est di-
stincta in Christo à scientia infusa, vel beatifica.
Respondeo, Non fuisse; quia prophetica cogni-
tio, non necessariò includit obscuritatem; sed
abstrahit à cognitione obscura & clara: solum
que postulat ut sit cognitionis eorum, qua procul
sunt à mortalium cognitione; & existat in homi-
ne viatore. Connotat enim Prophetia statum
viatoris in subiecto; qui videlicet saltem corpo-
ris conditione procul sit à cœlestibus, qua videt.
Vnde etiam lumen beatificum in Christo, quate-
nus corpore erat viator, habebat rationem pro-
pheticæ luminis; ut etiam insinuat D. Thomas in
Corpo ad 1. & ad 3.*

21 Quod autem in Christo fuerit etiam Discretio
g. *Discretio Spirituum*; patet, quia discretio spirituum, vel,
spirituum, nihil est aliud nisi cognitio cordium, quam cer-
tum est in Christo fuisse; ut infra dicetur: vel,
est facultas quedam cognoscendi, & discernendi
instinctus spiritus sancti, à motionibus Dæmo-
nis, vel proprijs: & hæc etiam in Christo erat
perfectissime; nam illas motiones intuituè po-
terat cognoscere.

s. Interpretatio sermonum in Christo, nam hęc est donum quoddam Spiritus sancti, quo penetramus & explicamus abditos Scripturę sensus. Quod in Christo perfectissimè fuit, qui est totius Scripturę obiectum, & hypothasis. Vero certe est auxilium Spiritus sancti ad oracula diuinę sine errore in aliam ex alia lingua transferendi. Et hęc facultas etiam Christo inerat, ut patet.

7. Operatio virtutum & gratia sanitatis; vt patet ex contextu Euangelico. Vbi aduertere, hac duo vocari communiter gratiam miraculorum, & distingui dumtaxat materia; nam gratia sanitatis, ratione commodi quod mortali- bus prefstat, habet peculiarem vim ad persuaden- dam fideli doctrinam; ob quam, haec gratia dan- tur. Quam vim Operatio Virtutum, id est, alio- rum miraculorum quae sunt in elementis vel re-

bus inanimis, non æquè habet. Ratio, cur hæc Christo tribuamus, est; tūm, quia dignitas illius personæ, quæ erat *Virtus Dei*, per quam facta sunt omnia, postulabat ut in natura assumpta quævis miracula posset edere: tunc etiam id postulabat officium Doctoris, & institutoris nove legis, quæ miraculis in principio confirmari debuit.

Petes, Vtrum hæ gratia in Christo fuerint
per modum habitus? Respondeo, fuisse; in quo ipse reliquos omnes superauit homines, quibus non omnes hæ gratia communicantur per manentem, sed quedam dumtaxat in transitu per modum passionis. Nam Prophetæ neque semper, neque omnia poterant prædicere; nec semper, aut quæuis facere miracula: Christus autem semper, & quomodo voluit, & quidquid voluit, potuit facere & prædicere. Colligitur Isaiae 11.
Requiescerat super eum Spiritus Dominii. Ioan. 1. Super quem viderunt Spiritum descendente, & manentem, ipse est &c. Aduerte; cum dico, Gratiam miraculorum in Christo fuisse per modum habitus, non significari hanc gratiam esse aliquam vim creatam, quam humanitati Christi inhæreat; nam valde creditibile est nullam talem qualitatem dari: sed tantum significatur auxilium diuinum Christo homini, ad quæuis miracula semper præstò fuisse; atque adeò in ipsis potestate. Quo modo cursus generalis siue auxilium generale est in nostra potestate.

ARTICVLVS IX.

*Vtrum in Christo fuerit Gratia
plenitudo?*

Respondetur, In Christo fuisse gratia plenitudo in ratione perfectionis intensius, tum ratione extensius, seu virtutis operandi ipsius gratiae. Probatur prior pars; Quia gratia Christi fuit summe intensa; nempe quantum esse poterat intra mensuram à diuina sapientia præfittatam circa gratiae collationem. Idque ob duas causas; tum, quia Christi Anima erat coniunctissima diuinitati, que est fons omnis gratiae; unde oportebat eam summe ecclesiasticis donis impleri; tum, quia ex ipso, omnis gratia ad alios transfundenda erat. Altera pars Probatur; quia Christi gratia debebat se extendere ad omnes gratias effectus & operationes, cum fuerit tamquam universale principium omnis gratiae in genere humano.

Notandum Primò D. Thomam hic loqui non
de absoluta plenitudine gratie, & donorum di-
uinorum secundum intentionem & extensionem, ^{Aliorū}
sed cōparata ad potentiam ordinariam, quę opera-
tur iuxta mensuram à divina sapientia præstitutę, ^{Carissimis}
gratiam,

Notandum Secundò circa Reponcionem ad secundum, Animam Christi priùs naturā fuisse sanctificatā per vniōnem Verbi, quām per Gratiam seu dona habitualia. Alter tamen per gratiam sanctificata est, alter per ipsam vniōnem: nam gratia est donum intrinsecē ornans esseentiā, eamque ad diuinam similitudinem eleuans, & potentias legi supernaturali conformans: vno autem hypothatica erat veluti radix huius doni, nec intrinsecē animam aut potentias Deiformes efficiebat.

ARTI_a

ARTICVLVS X.

Vtrum Gratia plenitudo sit
Christo propria?

²⁵ *Affirmo.* R. Espondetur, Et si multi in Scripturis modo quodam dicantur pleni gratia; tamen solus Christus habet absolutam gratia plenitudinem, attingens summum gratiae, quoad essentiam gratiae, & quoad virtutem; id est, summam intentionem & extensionem. Vbi

Plenitudo
gratiae va-
rie varijs
tribuitur
in Scriptu-
ra.

Notandum est in Scripturis tribui plenitudinem gratiae varijs personis, sed non eodem modo: quibusdam enim tribuitur plenitudo, quia est in illis quædam abundantia gratiae, supra eam, quæ ad salutem est necessaria. Sic ad Ephes. 3. v. 19. *Vt im- pleamini in omnem plenitudinem Dei.* Et ad Philip. 1. v. 11. *Repleti fructu iustitia.* Secundò, Tribuitur quibusdā plenitudo respectu subiecti seu officij, ad quod diuinitus electi. Sic dicitur pleni gratia, vel Spiritu sancto Iohannes Baptista, Stephanus, Apostoli, &c. Tertiò, Est plenitudo perfecta ipsius gratiae, absolutè considerata; & hæc est in solo Christo. In ipso enim est gratia secundum omnē intentionem & extensionem effectuum, quam Deus in viuero cōstituit conferre. Et Probatur, quia ea plenitudo gratiae tribuenda est Christo, qua maximè decebat Filium Dei naturalem, & omnis gratiae fontem. Et insinuat Iohann. 1. v. 14. *Vidi- mus quasi Unigenitum à Patre, plenum gratiae & veri- tatis.* Et v. 16. *De plenitudine eius nos omnes accep- mus.* Atqui dignitas Filij Dei, excedit omnem dignitatem creaturarum etiam posibilem; & plenitudo fontis, excedit omnem copiam rivulorum: ergo debet in illo esse gratia, qua nulla posset esse maior, aut intensius aut extensius; saltem secundum potentiam ordinariam. Vnde ad Coloss. 1. v. 19. dicitur: *In ipso complacuit omnem plenitu- dinem inhabitare.*

²⁶ *Quadru-
plici consi-
deratione
Christus
est plenus
gratia.* Vnde colligo Christum dici plenū gratia quaduplici cōsideratione: Primò, Quia habuit summam & intensiū & extensiū quæ secundum diuinam prædestinationem erat conferenda in viuerosum. Secundo, Quia habuit omnem, quam de- cuit habere naturam creatam summè Deo vnitā; scilicet unitam in unitate Personæ. Tertiò, Quia habuit omnem, quam oportebat habere fontem, & viuendale principium glorificationis in toto genere humano. Quartò, Quia extendebat se ad omnes effectus gratiae: quidquid enim per aliquod donum gratiae fieri poterat, per eius gratiam est præfatum. Vide Cyrrillum lib. 1. in Iohann. c. 17. Sicut, inquit, *Filius accipit à Patre totam hereditatem,* seruus autem manerat quædam; ita Christus totam gratia substantiam, reliqui particulas. Vide eundem lib. 2. in Iohann. c. 72. & 73. S. Chrysostom. de Spiritu S. tom. 3. D. Hieron. in c. 11. Isaia. D. August. tract. 14. in Iohann. & D. Greg. lib. 29. Moral. c. 30.

ARTICVLVS XI.

Vtrum Christi Gratia sit infinita?

²⁷ *Distingui-
tur.* R. Espondetur Primò, Gratia unionis est infi- nitæ; quatenus videlicet unit perfonam infinitæ perfectionis. Secundò, Gratia habitualis, in

ratione entis, est finita. Quod intellige, non solū, quia limitata est ad certam speciem; sed etiā quia limitata est ad certos gradus perfectionis intensiū intra suam speciem. Tertiò, Gratia habitualis, in ratione gratiae, potest dici infinita: quia habet quidquid pertinet ad rationem gratiae, & potest extēdere ad infinitos effectus. Quo pacto lux solis potest dici infinita. Vbi aduerte, ex his solū colligi Christi gratiam & dona habitualia esse infinita comparatiū, nempe respectu effectuum infinitorum.

D V. B I V M.

Vtrum Christi Gratia non sit abso-
lute infinita?

²⁸ *Ioannes
Maior
affirmat.* Quidam censem absolutè infinitam in perfec-
tione intensiū. Inter quos Ioannes Maior
in 3. dist. 13. q. 3. Ratio ipsius est, quia id non in-
volut contradictionem. Quo posito, nulla gratia
est magis commensa & accommodata dignitati
illius animæ ad diuinam personam assumptæ.

Sed longè probabilius & verius est Christi <sup>Verius
negatur.</sup> gratia non esse infinitæ perfectionis intensiū. Est communis Theologorum in 1. dist. 17. vbi vide Gregorium Ariminensem qu. 6. & in 3. dist. 13. Ratio est, quia impossibile est ut aliqua forma
creata seu qualitas ita sit infinita. Cuius ulterior ratio est, quia anima Christi cognoscet & diligenter Deum infinitè; ac proinde ipsum comprehendet. Idem etiam alijs rationibus efficaciter probari potest ex Philosophia.

Dices, D. Thomas hoc Articulo dicit Christi gratia esse infinitam secundum rationem gratiae. Secundò, Magister dist. 13. dicit Christi animam tantam habuisse gratia plenitudinem, ut ampliorum Deus conferre non potuerit: ergo erat infinitè intensa. Confirmatur Iohannis 3. v. 34. Non enim ad mensuram Deus dat spiritum, scilicet, Filio, vt explicat S. Thomas.

Respondeo ad Primum; Illam qualitatem, <sup>Gratia
Christi</sup> que est gratia, ceteraque Christi virtutes, non ^{tripliciter} esse realiter & physicè infinitæ perfectionis: po- ^{dici potest} terant tamen dici infinitæ in ratione gratiae, idq; ^{infinita,} ob tresrationes. Primò, Quia habebant quandam dignitatem & estimationem infinitam in ratione gratiae; quatenus erant in persona infinita digni- ^{Primò,} ^{quia est in} tatis: Sicut opera Christi erant infinita, non qui- ^{persona in-} ^{finita digni-} tatem in ratione entis, sed in ratione meriti, ob dignitatem persona. Non tamen ideo omne acci- ^{nitatis.} dens quod erat in Christo Domino, dicendum erit infinitū; quia etiā illud acciperet singularem quandam dignitatem ex coniunctione cum Per- ^{meriti.} sona diuina, non tamen ideo crecebat in suo ge- ^{nere.} V. g. color Christi habet eximiam digni- ^{meriti.} tam, ex eo quod fit cōiunctus Persona Filij Dei, ^{meriti.} ratione cuius, cum summa reverentia est intuen- ^{meriti.} dus: hæc tamen dignitas non auget colorem in suo genere; nec etiam confert ad moralem boni- ^{meriti.} tatem seu meritum. Gratia tamen per coniunctionem cum diuina Persona crecit in suo genere; Cū enim gratia sit reddere subiectum gratum, & opus meritorum; accidente hac dignitate, ipsa gratia ita crescit in suo genere, ut infinitè fiat gratia & amabilis: adeò ut opus ex ipsa procedens, sit infiniti meriti. Et sic gratia habitualis Christi, ratione coniunctionis cum diuina Per- ^{meriti.} sona, est infinita in genere gratiae.

ff ij

Secundò,

64 Qu.7. De Gratia Christi prout est singularis homo. Art. 12. Dub. 1.

*Secundo,
quia ordi-
natur ad
vniōnem
infinita di-
gnitatis.*

Secundò, Gratia Christi potest dici infinita, quia ordinatur ad vniōnem infinita dignitatis, scilicet hypostaticam, quæ est altissimus finis, ad quæ gratia potest ordinari. Porro huic fini gratia Christi est commensurata iuxta diuinę Sapientię mensuram; & ideo D. Thomas dicit gratiā Christi attingere summum gratiæ secundum essentiā, quia essentiā gratiæ ordinari ad vniōnem cum Deo: atqui hæc gratia attingit eam mensuram, quæ respondet summam vniōni: ergo hæc gratia attingit summum gratiæ.

*Tertiū re-
tione effe-
ctus.*

Tertiò, Potest dici infinita in ordine ad suos effectus: tūm, quia est principium infiniti meriti; tūm, quia est principiū omnis gratiæ in omnibus hominibus, etiā essentia infiniti. Vnde in Christo est tamquā in fonte, & causa vniuerfali, sicut aqua in mari, & lux in sole: in alijs autem solum participatione ab illā. Item in Christo habet omnem effectum gratiæ; scilicet meritum gratia præuenientis, iustificationis impij, remissionis culpa mortalis, & poenæ eterne, augmēti gratiæ, cuiusvis auxiliū specialis, persecutantia, & gloria: item omnium gratiarum gratis datarum. In alijs autem habet effectum limitatum. Et ita Christi gratia attingit summum gratiæ secundum virutem.

Ad Secundum; Testimonium Magistri intelligendum est de potentia ordinaria. Ad Confirmationem; Locus iste Ioannis, videtur intelligendus de donatione, qua Pater dedit Filium mundo: vel certè quā diuinitatē donavit humanæ naturæ.

ARTICVLVS XII.

Vtrum gratia Christi potuerit augeri?

30

R Espendetur, Non potuisse augeri, tūm, quia Christus erat beatus secundum animam; ac proinde in termino: tūm, quia gratia ipsius secundum ordinationem diuinę Sapientię era commensa summa vniōni cum Deo.

DVBIVM I.

Vtrum per potentiam Dei absolutam dona habitualia Christi potuerint augeri?

*31
Scotus ne-
gat de gra-
tia ut
est in tali
subiecto.*

Q Vidam existimāt ea nullo modo augeri posse, quamuis in se finita sint: quia existimant dari certum terminum perfectionis intensiū omnium habituum & qualitatum, ultra quem non possint per vllam potentiam crescere. Christi autem gratiam & virtutes habere hunc terminum. Ita Scotus doceat in 3. dist. 13. quæst. 1. & 2. cui assentitur Cajetanus hoc loco, & 2. 2. quæst. 24. art. 7. Idem tenet Durandus dist. 13. quæst. 1.

*Richardus
negat de
gratia ut
est in tali
subiecto.*

Alij putant hæc dona secundum se quidem augeri posse; tamen ut sunt in tali subiecto, non posse. Ratio est, quia capacitas animæ Christi limitata est; & penitus per illa dona expleta. Similiter capacitas Angeli limitata est, quamuis hec sit maior quā anima. Ita Richardus in 1. dist. 17. art. 2. quæst. 4. Eadem exp̄s̄ tenet Driedo De captiuitate & redēptione generis hu-

mani, traict. 2. cap. 2. pag. 59. non tamen negat quin diuina virtute posse esse maior. Pro eadem citatur Bonaventura; sed obscurè loquitur.

Respondeo & Dico Primo, Gratia & virtutes in Christo non habent summam perfectio-³² Augeris. nem intensuam, quam per potentiam Dei absolu-^{te si} lutam habere possunt; ac proinde per candem possunt augeri, idque sine termino. Est communis sententia Theologorum in 3. dist. 13. & in 1. dist. 17. & exp̄s̄ D. Thomae 2. 2. quæst. 24. art. 7. vbi docet Charitatem tam ex parte subiecti, quam ex parte formæ, posse in infinitum augeri; & in hoc augmentatione nullum esse statum. Et Probatur; Si enim lux solis erit maior septuplo Isaie 30. vers. 26. quam sit modo, vt facietur D. Hieronymus, & Liranus ibi: & communiter Doctores in 4. dist. 48. multò magis gratia quæ est participatio diuinæ naturæ, augeri sine termino potest.

Dices; Gratiam secundum se quidem augeri posse, tamen capacitatē animæ non esse limitatam. Respondeo; Hæc duo non confundere; quia cùm omne accidens ex essentia sua respiciat subiectum capax, non potest secundum se, & extra subiectum, magis intendi, quam in subiecto. Addo; Capacitatē animæ non esse limitatam; quia non est naturalis, nec terminis naturæ concluſa; sed est capacitas obediens, commensa diuinę potentię. Vnde etiam non est maior in Angelo, quam in anima.

Dico Secundò: Gratia habitualis, & ceteræ virtutes supernaturales Animæ Christi, fuerunt ³³ Non tam- ordinariam: id est, per eam potentiam quæ operatur secundum mensuram à diuina Sapientia præstitam. Est communis Doctorum, dist. 13. & hoc est quod passim vult D. Thomas cùm dicit, Gratiam Christi fuisse summam secundum essentiam. Hinc Ioan. 1. vers. 14. dicitur *Pleus gratia*. Ratio est; Quia gratia Christi iuxta diuinam dispositionem est commensa summa vniōni, quæ esse potest inter creaturam & Deum: ergo secundum diuinam dispositionem non potest esse maior. Confirmatur; Si hæc mensura possit excedi, illa gratia ab initio non habuisset conuenientissimam proportionem cum vniōne hypostatica.

Dices; Ergo nec per potentiam absolutam augeri potuſſet. Respondeo Negando Consequentiam; Quia alia mensura à diuinâ Sapientia potuſſet constitui; numquam enim defuerint rationes Deo, ad maiorem & maiorem in infinitum constituendam: quamquam secundum eas rationes quas nunc reip̄a spectauit, conueniens non esset eam augeri. Ex his patet, nullius creature gratia posse ad tantam perfectionem ex crescere. Nam gradus ipsiis præfixis ordinatione est ex diuinâ, incomparabiliter est minor. Tempus ³⁴ fere ad etiam vitæ, & auxilia longè inferiora. Deinde nullius creature gratia, quantumcumque crescat, poterit vñquam pertingere ad eam perfectionem, quam habet gratia Christi ex coniunctione cum persona diuina. Et hoc est quod vult D. Thomas art. 11. ad 3.

DVBIVM

DVBIVM II.

Quanta sit Gratia Anime Christi perfezione intensua?

34
In Christo
maior est
gratia in
omnibus
hominibus
& Angelis
simil.

R Espondeo; Etsi praeceps ignotum sit, tamen probabilissimum est eam excedere non solum gratiam cuiusvis hominis, vel Angelis; sed etiam omnem gratiam omnium hominum, & Angelorum simul sumptam, quamvis tota illa in unum coalesceret.

Probatur Primò, Quia si esset possibilis gratia actu infinita, omnium consensu hæc esset Christo tribuenda; nā hæc sola censetur dignitati personæ diuinæ commessa: ergo cum hæc idem dimittaxat negetur, quod sit impossibilis; concedi saltē debet summus gradus, qui à nobis concipi potest, vt ratione consentaneus: atqui talis est iste, qui in se colligit omnia dona aliorum: ergo &c.

Probatur Secundò, Quia dignitas animæ Christi superat dignitatem omnium Beatorum simul sumptam; eò quod assumpta sit ad dignitatem diuinæ personæ: ergo oportebat vt eius dona supernaturalia excederent omnium dona simul sumpta. Confirmatur; Quia hæc anima est magis dilecta, quam tota rerum vniuersitas; & merita illius sunt digniora omnibus meritis omnium dilectorum: ergo maiora dona gratiæ sunt illi collata; nam dilectio diuina est efficax.

Probatur Tertiò, Quia Christus est caput omnium hominum & Angelorum: ergo oportet ut in ipso sit omnis gratia collecta, quæ in membris est dispersa: sicut in capite omnes sensus sunt collecti. Et quidem quod supererat gratiam omnium hominum, dubitari nequit; cum ea, ab ipso, vt à fonte, deriuetur. De gratia Angelorum est etiam valde probabile: tum, quia est illorum caput; tum, quia decet vt omnia quæ in electis sunt dispersa, in ipso uno sint collecta. Quod confirmatur; quia ipse est inter Beatos, sicut sol inter astra. Nā differentia claritatis electorum, erit sicut differentia astrorum. 1. ad Cor. 15. v. 41. atqui sol maius habet lumen, quam omnia altra simul: ergo &c.

Christus
fuit abso-
lutè plenus
gratia.

Ex his optimè intelligitur quomodo Christus absoluè fuerit plenus gratiæ: quia non solum habuit summam, quæ iuxta diuinam prædestinacionem esse poterat; sed etiam, quia habuit tantam, vt in sua perfectione intensuæ vnitè omnem gratiam omnium Sanctorum contineret. Quod infinitant Patres suprà citati art. 10. num. 26. præfertim Cyrillus & Hieronymus.

DVBIVM III.

Ex quo tempore Christus omnem hanc Gratia perfectionem habuerit?

35
ab initio
concep-
tio-
nis.

R Espondeo; Ab initio suæ conceptionis; adeò vt temporis successu non fuerit aucta. Est ita certa, vt cōtrarium sit censendum erroneum. Et docet D. Thomas hic, & omnes Doctores in 3. diff. 13. & psalmus Patres qui hac de re agunt.

Probatur Primò, Ex Scripturis; Ioan. 1. Isaï 11. Jeremiæ 31.

Probatur
ex Patri-
bus;
Hieron.

Probatur Secundò, Ex Patribus, Hieronymus in illud Jeremiæ 31. v. 22. Fama circumdat Vi-
rum: qui, inquit, iuxta incrementa quidem etatis pro-

ficere videbitur Sapientia & etate; sed perfectus Vir in ventre femineo solis mensibus contingebitur. Vbi satis insinuat ab initio perfectum fuisse, ita vt revera non profecerit. Nec obstat quod idem D. Hieronymus in cap. 61. Isaï ait, Vnctionem gratiæ in Christo fuisse expletam in Baptismo; quia loquitur de visibili vñctione, quam tunc accepit; quæ erat symbolum inuisibilis vñctionis acceptæ in concepcione. D. Augustinus lib. 15. de Trinit. c. 26. ^{Augustinus} aperte docet Christum in Incarnatione fuisse omnino gratiæ plenum: & in baptismo quando columba descendit, nullum augmentum accepisse; sed præfigurasse sanctificationem corporis sui, quod est Ecclesia. Idem docet lib. 2. de Peccatorum meritis & remiss. cap. 29. Cyrilus lib. 10. ^{Cyrilus} Thesauri cap. 7. ait, Christum accepisse omnem gratiam ab initio; nec per incrementa temporum, aliiquid ei additur. Damascenus lib. 3. de Fide orthodoxa. ^{Damascenus} cap. 22. dicit esse errorem Nestorianum afflere ^{nus}, illum Sapientiæ profecisse. Anselmus lib. 1. Cur Deus homo. cap. 9. Bernardus serm. 2. super Missus ^{Anselmus} Bernardus. est: Sive latens in utero, sive vagines in pæstrio, sive grandiusculi Doctores interrogans in templo, sive iam perfecta etatis docens in populo; quæ profecto fuit plenus Spiritu sancto &c.

Probatur Tertiò, Quia ab initio Conceptio-
nis habuit dignitatem Filii Dei: ergo plenitudo ³⁶
Pro. R. R.
nam gratiæ tamquam Vnigenitus à Patre. Nam ^{tione} hæc erat causa plenitudinis gratiæ; vt indicatur Ioan. 1. Secundò, Quia perfectius & optabilius est ab initio esse omnino perfectum, quam sensum in perfectione crescere. Ergo hoc Christo tribuendum. Confirmatur; quia nullæ est ratio cur hæc plenitudo debuerit differri; cum ea dilatio nihil conferat ad nostram redemptions, sed potius obfit. Tertiò, Quia Christus ab initio secundum animam fuit beatus: ergo gratia ipsius ab initio fuit consummata; sicut gratia Beatorum.

Sed contrà. Obijcitur, Luke 2. vers. 52. Pro-
ficietur Puer Sapientia, & etate, & gratia, apud Deum ^{Quomodo} Christus
& homines: ergo &c. Respondeo, Proficietur in ^{Christus} proficerit. ostensione Sapientiæ & gratiæ: seu, quod idem est, in operatione & exercitio. Ita explicant Patres allati; & preter hos, Athanasius serm. 4. contra Arianos, qui id valde fuse profequitur, fol. 3. à fine. Ambrosius in hunc locum, & lib. de Dominicæ Incarnationis Sacramento cap. 7. vbi etiam ait, Christum secundum sensum humanum verè profecisse; scilicet in exercitio Sapientiæ & gratiæ per sensum humanum. D. Hieronymus in cap. 11. Isaï. Beda Homilia Dominicæ 1. post Epiphaniam. Theophilactus & alij in hunc locum Luke. Sed aduerte, non tantum profecisse ^{Respectu} gratiæ & Sapientiæ in opinione hominum; sed ^{sui} etiam in seipso: quia sicut addebat annos annis, ita initio faciebat minora opera Sapientiæ & gratiæ: deinde sensim addebat maiora, vt explicat Athanasius; Ratione quorum dicebatur profice-
re apud Deum: quia alia alii majoris erant Sa-
pientiæ & perfectionis, magisque ex genere suo
meritoria; quamvis ratione Personæ æquè me-
ritoria fuerint. Apud homines autem proficere ^{Ei homi-}
dicebatur, vel quia per hæc faciebat homines pro-
ficere, vt quidam exponunt; vel quia crescebat
hominum de ipso opinio.

ARTICVLVS XIII.

Quomodo gratia Christi Habitua-
lis se habeat ad vniōnem?

38

Respondetur; Vnio hypostatica fuit naturā prior, quām gratia habitualis, tamquam eius quodammodo causa. Probatur tribus rationibus, quas vide apud D. Thomam.

*Halenſis
putat Gra-
tiam habi-
tualem
fuisse in-
ſtar neces-
ſaris dis-
poſitionis
ad vno-
nem.*

*D. Thomas
instar dis-
poſitionis
conuenien-
tis.*

*Refellitur
Halenſ.*

Nota, Alexandrum Halensem existimare gratiam habitualem, se habuisse ad vniōnem hypostaticam per modum medijs, seu necessariæ dispositionis: sicut dispositiones materiæ necessariæ sunt ad eius vniōnem cum forma. Ita docet 3. parte sua summa quæst. 7. memb. 2. art. 1. & quæst. 11. memb. 1. art. 1. Alij dicunt non fuisse quidem hanc gratiam absolute necessariam, vt Anima illa hypostaticè vniretur, fuisse tamen conuenientem dispositionem: & ideo re ipsa prius naturā animam illam fuisse dispositam per gratiam, quām hypostaticè vnitam. Ita tenuit D. Thomas in 3. Sent. dist. 2. quæst. 2. art. 2. & Bonaventura ibidem art. 3. qu. 2.

Sed Dico Primò, Gratiam non habere se vt necessariam dispositionem ad vniōnem hypostaticam. Est communis sententia Doctorum contra Alexandrum. Probatur Primò, Quia Verbum vnitur carni, & tamen caro non est capax dispositionis per gratiam. Secundò, Quia subsistens Verbi debet immediate vniiri essentiæ animæ: ergo ipsa essentia est capax vniōnis secundūm se ante omne accidens. Confirmatur; quia naturalis subsistens non requirit vllas dispositiones, cū omni dispositione sit penitior: ergo neque subsistens diuina, quæ æquè intime debet vniiri. Tertiò, Quia nulla qualitas creata potest excludere propriam subsistens à suo subiecto: ergo neque illud reddere capax subsistens aliena, maximè Verbi diuini; cuius subsistens in infinitum excedit omnem talem dispositionem.

Dico Secundò, Gratia etiam non se habet ad vniōnem vt dispositio conueniens naturā prior;

40

sed potius vt posterior, tamquā consequens ipsam *Explicitur
vniōnem. Ita D. Thomas hoc loco, & suprà q. 6. art. 6. & Scotus dist. 2. qu. 2. in 3. Durandus ibi-
de dispositi-
tione Con-
sequente,
non autem
antece-
dente.*

Probatur Primò, Quia prius naturā quæque res subsistit, quām ornaretur accidentibus: nam subsistens est intimum complementum substantiale rei: ergo illa anima prius naturā erat vnta subsistens diuina, quām ornaretur gratia. Patet Consequentia, Quia in eodem signo natura vnitæ est subsistens diuina, quo suam accepisset, nisi fuisset impedita. Secundò, Vnio hypostatica est ad subsistendum; gratia autem datur ad operandum: atqui prius est subsistere, quām operari: ergo. Tertiò, Missio Filij est prior origine, quām missio Spiritus sancti: atqui missio Filij fit per vniōnem hypostaticam; missio Spiritus sancti per infusionem gratiae: ergo vniō hypostatica est prior infusione gratiae. Quartò, Præfentia Solis antecedit naturā illuminationem aeris. Ergo similiiter substantialis præfentia Verbi, debuit antecedere diffusione gratiae in naturam humanam. Quintò, Scripturæ plenitudinem gratiae referunt in illam vniōnem, tamquam in causam. Isaie 11. vers. 1. & 2. Flos de radice eius adscendet, & requiescit gratia, super eum spiritus Domini. Vbi prius est florem adscendere, id est, incarnari Christum ex Virgine, teste D. Hieronymo, quām spiritu sancto repleri. Joan. 1. Verbum caro factum est, & vidimus gloriam eius, quasi vngeniti à Patre, plenum gratiae & veritatis. Vbi indicatur illum fuisse plenum gratiae, quia erat vngenitus.

Aduerte tamen, Gratiam posse dici dispositiōnem ad vniōnem hypostaticam, non quidem antecedentem & præparantem vt sit; sed consequentem & ornantem vt optimè se habeat. Sicut *Vt vno* sanitas & pulchritudo est dispositio corporis humani ad coniunctionem cum animâ, non quidem *optime se habeat*, præparans vt sit illa coniunctio; sed ornans vt bene se habeat, & permaneat. Et ita intellige, quod dicit D. Thomas suprà art. 10. in Corpore, & ad 2. *Gratiæ habitualem ordinari ad vniōnem hypostaticam tamquam ad finem*. Argumenta quæ cōtra possunt obiecī, facile ex suprà dictis dissoluuntur.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Gratiâ Christi, vt est Caput Ecclesiæ.

In Octo Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Christus sit Caput Ecclesiæ?

*1.
R. Ad die-
tetur Caput
Ecclesiæ.*

Respondetur affirmatiuè. Vide D. Thomam. Notandum est, Christum secundūm strictam Metaphoram, dici *Caput Ecclesiæ* ex hominibus conflata: quia sicuti à capite in membra per spiritum animalem omnis sensus & motus infunditur; ita à Christo omnis cognitio supernaturalis, omnisque motus vita supernaturalis, in omnes omnium tempo-

rum homines post peccatum originale immittuntur. Omnis enim vita & motus supernaturalis est ex Christi meritis. Vnde totum genus humanum concipiendum est instar vnius hominis; cuius caput est Christus secundūm naturam humanam: *Hominis
sunt mem-
bra Christi*. Singuli autem veluti membra vel actu vel potestate sub hoc capite; quia per spiritum, ab hoc si capite diffusum, vitam, sensum, & motum vitalem gratia accipiunt. Hinc fit vt dicantur membra Christi, & tota Ecclesia corpus Christi. Ad Ephes. 1. v. 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiæ, quæ est corpus ipsius.* Ad Coloss. 1. v. 18. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* & alibi. Vbi Aduerte, Christum esse instar capitidis, quod ita est efficax, *vt aliena*